



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Virtute Ac Sacramento Pœnitentiæ Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXXII. Argumentum. Quæritur, An Moribundi, qui destitutis sensibus, confiteri non possunt peccata sua, sint Sacramentaliter absolvendi? Distinguuntur, examinantur, & resolvuntur quatuor ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94661)

vel iteratur Confessio coram alio confessario; opus est de novo omnia peccata antecedentis invalidæ Confessionis manifestare, unâ cum culpa, quæ causavit ipsam invaliditatem & aliis deinde commissis, ad effectum, ut servata integritate Confessionis circa numerum, species, ac circumstantias delictorum, comitante necessario dolore ob Dei offensam, ac proposito se emendandi, valida absolutio impertiatur; ut latius scribunt, ac docent Suarez de Pœnitent. disp. 2. sect. 6. Bonacina disp. 5. quest. 5. sect. 2. punct. 3. num. 15. Layman tract. 6. cap. 9. num. 6. Et Collegium Salmanticense d. tract. 6. cap. 9. punct. 5. per totum; in cujus fine advertit, nihil officere validitati Confessionis, si perfici non potuit unâ vice, sed opus fuit pluribus diebus, dummodò Sacerdos in mente retineat statum pœnitentis, & graviora criminum genera; ut ritè, ac rectè possit procedere ad absolutionem imponendo eidem congruam pœnitentiam.

DE C I S I O XXXII.

A R G U M E N T U M.

Quæritur, an Moribundi, qui destituti sensibus confiteri non possunt peccata sua, sint Sacramentaliter absolvendi? Distinguntur, examinantur, & resolvuntur quatuor casus. Exempla angonizantium, qui sopitis sensibus nec vocem Confessarii audierunt, nec ullum pœnitentiæ actum interiorius emiserunt. Doctrina summè necessaria Parochis, Confessariis, ac aliis Sacerdotibus morientes adjuvantibus.

S U M M A R I U M.

- 1 Moribundus, generaliter se accusans peccatorem, dein perdetur loquelam, an sit absolvendus? & num. 4.
- 2 Symptoma quid, & quoruplex sit?
- 3 Syncope quid sit?
- 4 Moribundus dans signa doloris de peccatis, est absolvendus.
- 5 Idem si vocavit Confessarium, & postea obmutuit.
- 6 Moribundus, destitutus sensibus, qui nullum signum pœnitentiæ dedit, an sit absolvendus?
- 7 Chivali diabolica saluatio nocturna Patavinorum.
- 8 Juvenis amor. 20 plumbeis globulis in ventre plagatus, sensibus destitutus, absolutus ab auctore sub conditione.
- 9 Agonizans per triiduum monitus ad dolendum de peccatis, nihil intellexit.
- 10 Lapsus in flumen, diu sub aquis nullum actum contritionis emisit.

Sed antequam egrediamur de secunda Sacramenti Pœnitentiæ parte principali, nempe de Confessione vocali peccatorum; tum quo ad numerum, tum quo ad circumstantias; expedit pro præxi Confessariorum agere de Confessione morientium, non habentium facultatem manifestandi propria peccata; ad quos absolvendos frequenter, & ex abrupto vocantur Parochi, ac Sacerdotes. Quare de Moribundis quatuor casus sunt videndi.

Primus est, quando moribundus volens confiteri peccata sua coram Sacerdote, incipit generali ser-

mone dicere: *Pater scias me magnum peccatorem esse*; & his dictis incidit in Symptoma, vel in Syncopem; amissaque loquela nihil aliud profert. Dubitant DD. an in hoc casu sit ei, à Sacerdote danda absolutio. Notet hic studiosus lector, quòd Symptoma est accidens morbosum superveniens homini. Bruno in *Lexico Medic. Verb. Symptoma*. Et est duplex, sanabile, ac mortale; mortale est triplex *Apoplecticum*, quòd præcipuè accidit in senibus. Hippocrates libr. 6. *Aphor. 57. Epilepticum*, quòd causat membrorum convulsionem; quippe *Epilepsia* est universalis convulsio; Galenus libr. 1. *De Symptom. caus. cap. 8. Et Syncopiticum*. Syncopis est præceptus virium lapsus, ac ruina Galenus libr. 12. *Method. Medic. cap. 5. dentes atque os ægri arctissime claudit*, & est tam sævum, atque horribile Symptoma; ut omnes Medici testentur, *Syncopem* esse incipientem mortem; mortem autem esse consumatam Syncopem, nam Syncopis transitus est ad mortem; idcirco à Græcis vocatur *Oxyntona*, hoc est cito jugulans; non enim in hoc affectu datur locus remediis, quia nimis celeriter jugulat; cum sit Galenus morbus ipsius cordis, qui statim atque inciperit, hominè perimit lib. 5. *de Loc. aff. 2. Et Comment. 2. Aphorif. 41*. Igitur dubitant Moralistæ, in supradicto casu, an Sacerdos possit prædictum infirmum, usu loquelæ ex Symptomate destitutum, absolvere? Plures negant, ea ratione quia nullam specialem suorum peccatorum notitiam præbuit Sacerdoti, ita ut non sufficiat illa generalis accusatio; nam etiam celebrantem Missam, recitato *Confiteor*, Syncopè oppressum non esse Sacramentaliter absolvendum, ait Layman libr. 5. tract. 6. cap. 8. num. 4. Et Diana Coordinatus tom. 1. tract. 4. resol. 56. §. 5. Ideo dictam negativam opinionem tenent Sotus, Canus, Navarrus, & alii, quos citant Salmantenses d. tom. 4. *de Sacrament. in genere tract. 6. cap. 8. num. 137*. Nihilominus contraria sententia est verior, quam tenent plurimi allegati ab iisdem Salmanticensibus d. cap. 8. num. 138. inter quos Eminentiss. Card. de Lugo de Pœnitent. disp. 17. sect. 1. num. 8. Et ratio est, quia in hoc casu impotentia physica excusat à specifica manifestatione peccatorum, ut demonstravimus supra Decif. XXXIII. num. 9. & sufficit exhibere pro materia peccati in communi, quando aliter non potest explicari. Idcirco Sacerdos non solum potest, sed est obligatus dictum Pœnitentem absolvere; ne forte habens solum attritionem damnetur, qui cum benesicio absolutionis Sacramentalis salvus fiet; & idem facere tenetur, si solum peccatum veniale dixisset, nam est materia sufficiens, & aliunde fieri potest, ut per illam absolutionem iustificetur à mortalibus, quorum non haberet memoriam, ut optime ait idem Eminentiss. de Lugo d. disp. 17. num. 20. & 21. Nec est amplectenda opinio de Celebrante moriente statim post recitationem *Confiteor*; nam ipsum quoque posse absolvi docent Marchinus de Peste part. 3. cap. 13. num. 15. & Pellizzarius in Man. Regul. tom. 1. tract. 5. cap. 2. sect. 1. num. 60. non ex eo, quòd illa Confessio generica latè sit ad dandam absolutionem Sacramentalem; sed quia in articulo mortis quilibet censetur virtualiter habere in votis Confessionem, & petere in eo discriminè remedium saluberrimum animæ suæ, quale est absolutio Sacramentalis.

Secundus casus est, quando moribundus loqui non potest, sed dat signa doloris suorum peccatorum per

5 perturbationem pectoris vel similia. Et quamvis non desint DD. qui dubitent; absque ulla formidine asseverandum est, hunc moribundum esse Sacramentaliter absolvendum, ut tenent Palas tract. 23. disp. Unic. punct. 11. num. 12. Layman d. lib. 5. tract. 6. cap. 8. numer. 4. & alii multi, quos congerunt, ac sequuntur Salmanticenses d. tract. 6. cap. 8. num. 145. quia ea signa videntur ordinari ad claves & ad remissionem obtinendam mediante absolutione quæ in casu dubitationis, an essent signa æquivoca, sub conditione, *si capax es*, foret impertienda.

6 Tertius casus est; quando absente Sacerdote, moribundus coram pluribus petit Confessarium ad confitendum, deditque signa pœnitentiæ; sed superveniens Sacerdos reperit eum sensibus destitutum. Non desunt DD. quos citat Diana Coordinatus d. tom. 1. tract. 4. resol. 62. & Collegium Salmanticen. d. tract. 6. cap. 8. num. 146. opinantes hunc moribundum non posse absolvi Sacramentaliter, ea potissimum ratione, quod relatio actuum pœnitentis facta ab illis personis, quæ eos viderunt, censetur confessio facta Nuncium Confessario absenti contra Bullam 87. Clementis VIII. de qua diximus in Decis. 15. num. 26. Cæterum opposita sententia est omnino tenenda, quam amplectuntur communiter Theologi relati ab iisdem Salmanticensibus ubi supra num. 147. & eam docuit S. Thomas Opuscul. 65. §. de Extrema Unct. sic dicens: Si autem infirmus, qui petit unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, ungatur Sacerdos: quia in tali casu debet etiam baptizari, & a peccatis absolvi. Et fundatur hæc sententia in cap. Qui recedunt. 16. quest. 6. & in cap. Agrotantis. De Consecrat. dist. 4. nec non in Rituali Romano De Sacram. Pœnitentiæ in Rubrica prope finem; ubi ita statuitur: Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri vox, & loquela agrum deficiat, nutibus, & signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis; vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

Neque urget prohibitio Clementis VIII. quia habet locum in Confessario absente, qui velit vel per nuncium, vel per litteras mittere absolutionem pœnitenti; in nostro autem casu confessarius præsens est, & personaliter moribundum absolvit; quod fieri posse testatus est idem Clemens VIII. Archiepiscopo Armacana Hiberniæ Primati, ut plures DD. referunt apud Salmanticenses d. tract. 6. cap. 8. num. 148. advertentes num. 149. in supradicto casu sufficere etiam testes de auditu alieno, ac etiam unum testem tantum, cum non agatur de præjudicio alicujus, sed de favore animæ ipsius moribundi.

7 Quartus casus difficilior videtur; nempe, An possit absolvi moribundus jam sensibus destitutus, quando nullus est testis, qui possit dicere, eum antea Confessionem postulasse, aut signum pœnitentiæ dedisse? Non pauci defendunt negativam opinionem, quos cumulat Diana Coordinatus d. tom. 1. tract. 4. resol. 63. 64. & 65. Et Salmanticenses d. cap. 8. num. 150. tum quia ubi non est accusatio, non potest esse judicium; tum etiam quia Sacri Canones antiqui, ac Concilia ad effectum absolvendi moribundum sensibus destitutum, requirunt

testimonia circa desideratam ab eo Confessionem. Porro praxis est in contrarium; quam laudant DD. apud Dianam part. 9. tract. 6. resol. 20. Quæ in Coordinato est d. tom. 1. tract. 4. resol. 65. advertendo tamen ibidem & in duabus resolutionibus sequentibus, quod absolutio est ei danda sub conditione *Si capax es*; idemque docent Salmanticenses d. cap. 8. num. 153. Fundatur hæc praxis in ea ratione, quia de quocunque homine Christiano præsumi prudenter potest, quod in tali periculo constitutus, si vel per modicum tempus sui compos extiterit, non solum actu interno Confessionem desideraverit; sed externo, & sensibili actu id desiderium expressisset; quod censetur virtualis quædam confessio pro absolutione conditionate concedenda in tam extrema necessitate sufficiens. Marchantius in Tribun. Sacram. tom. 1. tract. 4. tit. 4. dub. 7. Pellizzarius d. tom. 1. tract. 5. cap. 3. num. 60. & tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 114. ac Tamburinus in Methodo expedite Confess. lib. 2. cap. 10. §. 1. num. 1. addens, quia per conditionem cavetur injuria Sacramenti, & ex alia parte consulitur, quantum fieri potest, saluti moribundi; qui in tali articulo potest præsumi salutem attritus. Imò num. 12. seq. concedit id posse praticari etiam cum illo, qui actualiter peccando, subito destitueretur sensibus, quia rarissime evenit, ut quantumvis pessimus peccator, sentiens se vicinum morti, non velit suæ saluti consulere per aliquem actum attritionis.

Juxta hanc praxim, nonnullis ab hinc annis, hora secunda noctis, æstivo tempore, dum cœnarem, ex abrupto in via publica penes domum meam audivi diabolicam illam salutationem *Chivali* otiosa, seu verius perniciose generis per hanc urbem Antenoream, armis stipata, vagantis Vix dicto *Chvali*? exoneratae fuerunt duæ minores bambardæ scloppo magno, dein plures fugere, unum in via gemere sensu. Dixi, vulneratus est aliquis ad mortem. Præcepti à domesticis meistrispidantibus ostium domus aperiri: proflui, & ecce juvenem annorum viginti circiter supinum in via, plumbeis globulis in ventre plagatum, ac loquela destitutum. Procubui ad ejus aurem suadens parcere offensoribus, petere veniam à Deo de peccatis, ea detestari, & de eis dolere. Rogavi, ut pro signo manum meam stringeret, at ille oculos tantum in me intendebat, & eos demittebat; idcirco cernens eum morti proximum, Sacramentaliter absolvi sub conditione, *si capax esset*, & post paululum expiravit. Egressi postea sunt vicini, & cognoverunt, illum esse unum de satellitibus, quos Romani *Lictores* vocabant, quorum officium est reos comprehendere; ut scribit Aul. Gellius lib. 3. cap. 12. cumque interfectus ille audacior locis voluisset obvium quemdam ligare; impetitus tormento aneo in ventrem, infelix occubuit, cæteris aufugientibus. De eo dici poterat illud Ovidii *Metam.* 10.

In audaces non est audacia tuta.

Igitur secundum praxim Ecclesiæ, ex abundantia pietatis, moribundi possunt absolvi, saltem sub conditione, ex præsumpta interiori attritione, cum desiderio confitendi peccata sua, si non esset sensibus destitutus. At quam timendum est, quod deficiat suppositum, & invalida sit Confessio. Scio, me adstitisse viro nobili agonizanti, & sensibus destituto per tres dies, ac tres continuas noctes, eidem suggerendo frequenter actus contritionis, dilectionis Dei, ac conformitatis Divinæ voluntati. Post

Post triduum reassumpfit sensus, ac loquelam. Interrogatus à me, an in ea sensuum destitutione intellexisset verba mea? ac illos actus virtutis interius emisisset? Respondit; nihil intellexi, nihil audiui; nihil egi, sed sopore maximo oppressus mihi visus sum semper dormivisse. Obstupui. Siquidem non nemo reputasset, eum non audire. Erat Vir pius, ac devotus: at quid si habuisset conscientiam inquinatam peccatis?

Narrat P. Daniel, Bartoli in libr. *Asia pari.* 1. libr. 1. pag. 10. Equorum Magistrum D. Petri Mascaregnas, Oratoris Regis Lusitani, si Romam revertentis in patriam una cum Sancto Francisco Xaverio, prolapsus in flumen, longo tempore stetit sub aquis, ab omnibus ejus vitam desperatam, sed precibus Sancti Francisci vivum ad ripam accessisse. Liberatus à periculo, & interrogatus, quos fecisset actus animæ suæ interiores sub aquis? Respondit, nullos omnino, nisi confusam quandam mœritam, ob ingruentem mortem in illo flumine. Faxit Deus misericors, ut ab improbia morte liberemur & ne expectemus purgare conscientiam à peccatis in extremo vitæ. Insit cordibus nostris sententia illa S. Laurentii Justiniani libr. de Spiritu inter Anima in proem. Circa salutem animæ tuæ, quæ naturali dignitate immortalis est, vigila: illius spirituales vitam negligere noli.

Non me latet, Gobatum, virum egregium, ac practicum in Theologia morali, non esse facilem in concedenda absolutione moribundis, qui nullum actum pœnitentiæ præmiserunt: nihilominus in pluribus casibus, quos refert tract. 7. à num. 102. & seqq. etiam resisteret difficultas in moribundis prædictis conterendi, vel atterendi seipsos in illa mortis angustia; adhæret opinioni affirmativæ, quam supra commendavimus.

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

Pro resolutione Casus, an Moribundus habens tantum Venialia sit obligatus ea confiteri? discutitur. An sit, & esse possit Præceptum de Confessione Venialium? Quæ dispositio requiratur in confitente Venialia tum circa dolorem, tum circa propositum emendationis. Venialia, quot, & quibus modis deleantur in hac vita ei, qui non habet Mortalia? An deleri possint venialia habenti etiam mortalia, mortalibus non deleris? In alia vita animæ Justorum qualiter purgentur à Venialibus neglectis in vita præsentis? Cur tantæ Animæ Religiosorum, ac Sanctimonialium in Purgatorio, si in articulo mortis habent Indulgentiam Plenariam ex Bulla Pauli V? Quæstiones omnes perdifficiles, sed clarè, ac breviter explicatæ.

SUMMARIUM.

- 1 Moribundus habens tantum Venialia, an teneatur ea confiteri? & num. 22.
- 2 Venialia an de Præcepto confitenda?
- 3 Ecclesia an possit præcipere Confessionem de Venialibus?

4 *Monitio in re gravi habet vim præcepti.*

5 *Venialia in Sacramento Pœnitentiæ quomodo deleantur?*

6 *Attritio formalis de Venialibus an necessaria in Confessione?*

7 *Venialium in Confessione sufficit sola non complacentia eorum.*

8 *Venialia plura confitens an teneatur dolore de singulis?*

9 *Propositum emendationis an requiratur in Confessione Venialium?*

10 *Propositum vel refertur ad voluntatem, vel ad intellectum.*

11 *Venialia sine Sacramento Pœnitentiæ pluribus modis deleantur, & qui sint?*

12 *Sacramentalia remittunt Venialia, quo ad culpam & num. 15.*

13 *Attritio sine Sacramento an delet Venialia.*

14 *Actus Christianarum virtutum deleantur Venialia.*

15 *Venialia deleta quo ad culpam, non quo ad pœnam.*

16 *Venialia an demittantur remanentibus extra Sacramentum Pœnitentiæ?*

17 *Oppositum idem operatur in opposito, ac propositum in proposito.*

18 *Venialia in alia vita quomodo dimittantur iis, qui salvi sunt?*

19 *Status merendi, vel demerendi non est in alia vita.*

20 *Opus bonum factum in vita causat deletionem culpæ venialis post mortem animabus iustis.*

21 *Satisfactio in Purgatorio delet venialia quo ad culpam, & quoad pœnam.*

22 *Venialia in articulo mortis an de necessitate sint confitenda à non habente mortalia?*

23 *Venialia confitenda in articulo mortis tum ad ea delenda quo ad culpam, tum ad Indulgentias plenarias consequendas.*

24 *Pœna non remittitur, nisi prius deleta culpa.*

25 *Anima Religiosorum, ac Sanctimonialium cur tantæ in Purgatorio, si in articulo mortis habent Indulgentiam Plenariam ex Bulla Pauli V?*

26 *Apparitiones animarum purgatorii impetrantium suffragia.*

Porrò à Moribundis non est discendum, neque ad vegetos Pœnitentes transeundum; nisi alia quæstio satis utilis elucidetur, videlicet: Utrum Moribundus habens sensus liberos, & usum loquelæ, si non reperiat in anima sua peccata mortalia confitenda, sed tantum Venialia, puta domesticas iracundias, mendacia officiosa, ac similia, teneatur in eo articulo mortis eadem Venialia confiteri? Hanc quæstionem examinare promisi supra Decif. XV. num. 14. sed quia ipsa involuta habet intra se quatuor sequentia quæstiones scilicet necessaria; ideo ea sunt breviter, ac prius resolvenda.

Primum Quæsitum est, An detur Præceptum Divinum de Confessione peccatorum venialium? Et respondent Theologi negative. Ratio est, quia Præceptum Sacramentalis Confessionis obligat solas illas personas, quæ post baptismum mortaliter peccaverunt; ideo peccata Venialia non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ; & ad illud suscipiendum non tenetur qui talem materiam non habet; siquidem non est medium necessarium ad venialia tollenda. Ita Suarez de Pœnitentiâ disp. 35. sect. 2. num. 5. ubi allegat Concilium Tridentinum satis apertè